PVGILES

ITER SYRACUSAS

130

PVGILES

ITER SYRACUSAS

29


CERTAMINA POESEOS LATINAE

PVGILES

ITER SYRACUSAS

CARMINA
CERTAMINIS POETICI HOEUFFTIANI

EDIDIT
ACADEMIA DISCIPLINARUM NEDERLANDICA
AMSTELODAMI
MCMIL

PVGILES

PVGILES

CARMEN

VINCENT II POLIDORI

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO
MAGNA LAUDE ORNATUM

EDIDIT
ACADEMIA DISCIPLINARUM NEDERLANDICA
AMSTELODAMI
MCMIL

[illegible]
9-12-50

PVGILES

I

Undique deveniunt, Phoebi dum lumine turres
tectaque lustrantur, properantes curribus urbem,
quae, praestans opibus curvo superaddita ponto,
navibus accessus benefidos Barcino praebet.
  Aurea dependent vitreis aulaea fenestris
exornantque fores viridi de fronde coronae.
Rumor ubique strepit; cunctis est cura videndi.
Aequora transiliunt agili sine remige cymbae
transiliuntque vias, celeres ceu fulgura, rhedae,
quas non vis praeceps domitorum raptat equorum,
naphtha repercusso crepitans sed fumida bombo.
Subsequitur pubes. Praecedit nobile signum
haec inscripta ferens: „Duris assueta palaestris
corpora firmentur; solidae stent robore vires!"
Avia caelorum peragrant lateque rotantur
hydro — quos perhibent accepta voce — volantes.

II

Non procul urbe patet, stabili circumdata vallo,
area, quam viridem fecerunt graminis herbae.
Nuncupat hanc stadium graeco de nomine vulgus.
Arduus est arcus, trabibus contextus acernis,
qua datur ingressus. Fluitant vexilla per auras,
ex quibus italicum ternos sub sole colores
explicat. Haec loquitur, Zephyri dum flamina spirant:
„Spem canamque Fidem, fraternum testor amorem!"
Caeruleo signo resplendens Anglia garrit:
„Aequoris imperium populus, sua sidera spectans,
detinet usque meus!" Praedives Iberia quondam,
expatiata sui vasti confinia regni,
gaudet ovante Noto bicolori pandere limbo:
„Nunquam luce meis rutila sol occidat oris!"
  Undique conscendit vastum clamosa theatrum
excelsosque gradus, medios plebs occupat, imos;
nec sine consequitur discordi scamna tumultu.
Herbida dum subiens conculcat gramina vulgus
et premit et premitur, cubitis contendere discit.
Frustra quaesieris spatium; reperire negatur.
Hic pede te calcat; propellens ille resistit.

Ex medio prato tabulatum tollitur altum
ac munimen habet ternis ex funibus: acres
hic sua permiscent certantes praelia pyctae.
Scandit uterque locum, doctus certamine, iudex;
(ut patet, hispanam fundunt ex ore loquelam).
Si dare iussa queant numeratis praemia nummis,
sunt equidem faciles laetis gaudere triumphis;
reddere si nequeant, devictos fronde coronant.
Arbiter est anglus: sinuosa subucula gliscit
e tumidis bracis; caput obnubitque galerus
aures usque premens; ocreae de pelle iuvenci
aptae crura tegunt. Graviter perpauca locutus,
expectat pugiles; multum nec temporis ivit,
buccina cum crepitans adventum vulgat eorum.
Exoritur plausus longus clangorque tubarum
totaque planities sonitu percussa resultat.

III

Accedunt pugiles; oculi vertuntur in illos.
„Aspice" sic quidam „rigido contendere caestu
ardent; sunt alacres; odium nec fronte revelant.
Cum datur ire, volant; populo stipante morantur.

„Proxima" sic alter „mulier quid porrigit illis?
Accipiunt croceos blando pro munere flores.
Aspice, dum gaudent grati plebemque salutant,
ardua pugnaces tabulati limina tangunt".
Dum Carnera venit, paucis comitatus amicis,
vox sonat ex medio populo ferturque per auras:
„Frondea serta gerens victor, Carnera, redibis
scilicet in patriam, meritos laturus honores,
dilectae ut referas genitrici serta triumphi.
Te solum, Herculea te dignum laude putamus."
Haec, dum vulgus ovat, vario sermone seruntur.
  Quid nunc, ore silens, animo Carnera volutat?
Sumit caeruleo contextam vellere vestem,
plurima quam signat nigranti linea filo;
at color est gilvus iunctis, queis colla teguntur
partibus atque manus. Famuli iam lintea, vittas,
ambrosios latices, nec non medicamina portant.
Mox est certandum stadio certamen ibero:
convocat huc omnes pugilator quisque sodales.
  En Paulinus adest. Venientem plausibus omnes
excipiunt comites. Clamant: „Nos aspice! Faustum
nos tibi successum rursus, Pauline, vovemus!"

Vota salutantum capiens Tartessius implet
pectora laetitia. Populum dum cernit ovantem,
obvertens oculos caris subridet amicis.
Gingivis, positum lapsis pro dentibus, aurum
saepius ore micat. Nares sub fronte resimae
deturpant vultus. Humeris colloque rubescens
defluit ampla chlamys, croceo circumdata limbo.
At caput obvolvit, sudor ne tempora laedat,
textile linteolum. Renovant sua vota sodales.
Stat gravis aspectu patiens moderator eorum,
qui pugilum fictis exercent corpora pugnis,
acrius ut duro glomerent certamina caestu.
Nobile munus habet; stirpem proditque britannam
quem loquitur, sermo. Praeconis ab ore tonantis
accipit impatiens pyctarum pondera vulgus.
Cum minus audivit Paulinum pondus habentem,
utitur his dictis: „Trepidum depone timorem,
o Pauline; magis stabiles o concipe sensus!
Quamvis mole minor, minime devictus abibis.
Imo datura tibi palmas fortuna favebit!"

IV

Protinus athletae longo spoliantur amictu
et pede consistunt obversa fronte tuentes.
Hispidus atque potens humeris lateque torosus
stat Paulinus; agit contemptor brachia, glaucos
intorquens oculos, verbis et saeva minatur.
At Carnera, velut columen, quod fertur ad auras,
arduus erigitur; cervix taurina tumescit
et latus ut paries effertur, suntque lacerti
roboris adsimiles truncis; et murice tinctum
subligar usque femur constringit crura gigantis.
Aenea dum iubeat committi buccina pugnam,
non movet ipse pedes, obtutu fixus in uno.

V

Iam datur aere sonus. Sociis Carnera relictis,
induit oebalium caestum mediumque citato
occupat incessu spatium. Metuendus in hostem
vergit nunc oculos faciem sumitque severam;
tamquam si moneat ne quis contendere secum
audeat inferior, referat quin vulnera pressus.

Ipsius austero legitur victoria vultu.
Haud mora: Paulinus, tempus cum vidit adaptum,
irrumpit vehemens, malasque infringere nostri
nititur, at frustra; validi nam dura gigantis
brachia conantem reprimunt. Certamen initur
cominus; en arcto luctantur pectora nexu.
Ex laqueis solvi rabidus pertemptat Iberus
corpus et adversum manibus propellit; at ictus
excipit in faciem, geminatos dumque resistit
in latus; infremuit. Contusus membra, retortos
flectitur ad funes; titubat. Carnera recurrit
impendetque super. Rursus certamen initur;
nec minor ira furit. Tumidum defendere vultum
nunc studet Hispanus. Quoties exsolvitur arctis
nexibus, in naso labefacto plectitur, aegris
plectitur inque genis. „Dextram" sic turba „sinistram
sentiat iste tuam. Revoca, Pauline, vigorem;
et caput exosum compressa contere palma!"
Post ubi membra videt nostri detecta gigantis,
efferus aggreditur fortem Tartessius hostem;
at Carnera vigil mentem praevertit iniquam
et cavet infensas deflexo corpore plagas.

Ingruit inde ferox, humeris effunditur altis
et caput Hispani vehementi percutit ictu;
irruit huc illuc; recipit, dat verbera, reddit.
Brachia Paulinus retrahit gressuque recedit;
assilit hinc hosti, collectis viribus instat;
assilit hinc rursus. Noster nil frangitur heros;
imminet oblatumque manu thoraca repellit
verberat et faciem retro cedentis Iberi.
Tollitur altisonans ululatus fitque tumultus
et mala cuncta minax vincenti turba precatur.
Vox iubet interea: „Requies!" Tunc angulus aegrum
excipit Hispanum. Madidos sudore ministri
abstergunt pugilis bibulis mantilibus artus;
et vires oleo recreant animosque Lyaeo.
Assidet opposita Venetus dein parte receptus.
Integer atque potens membris unguenta recusat;
nil petit et comites gratantes frigidus arcet.
Unguine dum liquido perfusus gaudet Iberus
ebibit et latices, foedum spuit ore cruorem.

VI

Tinnitat aes iterum: scamno Carnera remoto
desilit in medium. Tacito sic ore videtur
dicere: „Num superer?" Dubius Tartessius haeret.
„Aggrediarne prior?" Rogitat, dum pectus anhelat.
Fulmineas pugiles, suspensi corpora plantis,
erexere manus aditusque ad vulnera quaerunt.
Hinc iuvat interdum validos proferre lacertos,
illinc praesidio nudum deflectere corpus,
vel caput obiectum cubito celare levato.
Infurit Hispanus, retro deductus, et audax
prosilit; at malas hostis dum vulnere signat,
concutitur dextra, vultu teriturque sinistra.
Cominus en certant. Respondent ictibus ictus;
nec mora, nec requies. Odio Paulinus adactus
saevit et infestum manibus thoraca revincit.
Arbiter ore monet: „Nimium ne stringe! Vetantur
nexus insidiaeque; scias! Decerne solutus.
Quid facis, o demens? Spatio consiste remenso!"
  Passibus aequatis, pyctarum corpora distant.
Incohat hic pugnam; graditur placidissimus ille

cautior et differt animos; cupidusque nocendi
hic ruit; ille vigil properatos reicit ictus
vel cavet; interdum pugnaces comprimit iras.
At satis est passus, satis est Carnera protervum;
nunc parat offensas, frontem nunc erigit altam.
Duri dum colaphi crepitant, inopinus Iberus
plectitur in mento; detorquens ora dolorem
flebilis accusat. Premitur sub vulnere; victus
nec tamen absistit, totis quin viribus instat.
„Quid, miser o, temptas?" Monitum sic fertur ad aures.
„Sat tibi nequicquam stratum voluisse gigantem!
Nunc nova vulneribus fatuus ne iunge receptis.
Jam resilire iuvat. Vitae palmisque futuris
est servandus honor; cedens hoc linque theatrum."
Mollia sed comitum luctator iussa refutat.
Nec mora: multa fremens rursus prorumpit in hostem
eiusdem stimulatque iecur. Progressus, acerbis
dum furiis rapitur, dextra perniciter acta,
tunditur in costis teriturque in fronte, sinistra.
Ora cruore madent. Iuvenis iam viribus expers,
flexus utrumque genu, victoris torva tuentis
sternitur ante pedes, elapsum pondus, et ictus

destituit longoque gemens post tempore surgit.
„Quid mea mater" ait medio Carnera tumultu,
„quid mea, cum nati sciet hunc quoque laeta
triumphum?"
At plebs, dum vacuat stadium, indignata minatur:
„Victor, abi; tibi ne faciem rumpamus iniquam!"

ITER SYRACUSAS

ITER SYRACUSAS

CARMEN

JOSEPHI MORABITO

MESSANENSIS

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO

MAGNA LAUDE ORNATUM

EDIDIT

ACADEMIA DISCIPLINARUM NEDERLANDICA

AMSTELODAMI

MCMIL

ITER SYRACUSAS

Spectatum in scaenis quam saeve Agamemnonis ultus
funera sit, matris foedando viscera, Orestes,
Dirarumque iras positas, mirabile carmen,
mane Syracusas petimus laeto ore vetustas.
Hinc puerum resonant voces puerique vicissim
illinc respondent prorsus sine lege; magistri
triste supercilium mittunt, urgentia verba
obliti, gaudentque semel colludere in anno.
Fumifera celeres rapimur prope litora raeda
et reboant pontes magno stridore rotarum.
In Calabris nondum rediens aurora reluxit,
prima sed incerto tenuis lux lumine fulget;
caeruleum languent per sudum sidera; montes
culmina paulatim iam decrescentia monstrant
et, matutinis leviter fluitantibus auris,
Ionii pelagi crispari summa videmus.
Est cui dira fames titillet viscera. Panem

oblongum, lardo fartum pinguique tomaclo,
dentibus arripuit subito elixisque duobus
ovis ieiuni stomachi vexantia sedat
spicula. „Consumpta nunc parte, viatica — muttit —
mi leviora; sedet quae in ventre, est tutior esca",
reclusaque vitro duplici lamnisque lagoena,
nigrum sorbillat sensim calidumque liquorem.
Tantum alii exemplum pueri, impigra turba, sequuntur.
Quas sum visurus toto spectante theatro
priscis res gestas cupiens revocare, libellum
evolvo carptim, quod currus me quatit usque,
interdumque mihi fessi clauduntur ocelli.
Sed modo me conniventem, modo docta legentem
carmina, quae Aeschyleae quondam cecinere Camoenae,
quot vanae species ludunt! Nam lucida regna
nunc videor peragrare, modosque audire poetae,
caeruleumque maris completum navibus aequor
cernere, tum resonas iterum cantamine cautes,
olim quo miseros nautas ad fata trahebant
Sirenes: sed eas virtute fefellit Ulyxes! . . .
Iam iubare exorto sunt omnia plena nitoris:
hinc laeva videas splendentia marmora, dextra

luxuriem mox laturi sua munera campi.
In mare naviculis intendunt retia nautae;
nunc circum scopulos, nunc circum frangitur oras
ex alto veniens zephyris spirantibus unda.
Haec loca quot monstris finxere habitata, ratesque
quam multae pelagus tranarunt bella cientes!
Si procul inspicias, sese incurvare videtur
pontus in extremis, unde aethera surgit in altum
aeratae fumus navis, qui caerula signat...
Quid? Subito ingredimur tenebrosi in viscera montis;
ferrea raeda tonat, tenebras ac sibila longa
rumpunt; tartareus fumus iam cuncta favillis
non sine mobilibus replet faucesque coercet
lacrimulasque ciet. „Quin clauditis, hercle, fenestras?"
multorum voces spissa minitantur ab umbra.
Provehimur — fauces ut tussis quassat obesas! —
obscuri tacitique diu. Sed lux redit alma
atque fugat fumum piceum levis aura; marini
litoris en iterum cautes abruptaque saxa
spectamus, nigrumque solum vitesque feraces.

At qui dulcis odor nobis demulcet apertas,
aurae devectus beneolentis flamine, nares?

Plurima per virides citrorum gemmula frondes
alba colore micat, volitantque opobalsama circum;
his nova nupta cupit cingi sibi tempora, quondam
his merito siculas ornarunt numina terras!
Hinc Aetnam incipimus surgentem cernere dextra.
Stat mons horrificus, nebulis caput atque pruinis
contectus. „Regnum Enceladi caecaeque Cyclopum
adsunt fornaces!" — „Bombus sed nullus ab antris". —
„Fulmina nocte Iovi tota fecere tyranno
ignitasque suis cessarunt vertere massas
forcipibus". — „Citus Empedocles hinc magna volutans
repsit in immanes ruiturus frigidus ignes". —
„Frigidus at citius potuit se mergere in undas". —
„Ex illa pastor Polyphemus rupe canebat
somni expers tacitae Galateam noctis in umbris
atque hortabatur, vitreis glaucisque relictis
sedibus, ut peteret tam cari basia sponsi". —
„Quin scopulos spectas, queis captus lumine et ira
incensus studuit navem perfringere Ulyxi?"
Ista serunt docti pueri indoctique sonantque
nonnumquam effusi pleno de corde cachinni.
„Felicem aetatem!" tacito sermone magister,

tempora cui infecit nix albula, muttit et haeret.
Ipse gravis montis minitantia culmina miror.
Multa etenim mente inquiro: frangantur abysso
quae caeca moles collidanturque boatu;
horrens quî pelagus flammarum rumpere claustra
interdum conetur, humus quo summa pavore
pressa tremat gelido fissoque e culmine rivus
igneus exundet liquefactaque fluminis instar
saxa fluant nigro condentia tegmine campos.
Hic antiqua patent miserae vestigia caedis.
Agricola at pulsus repetit deserta, ligone,
friguit ut rivus, lapides incidere certat,
indica quo ficus figendo inculta tenaces
radices spissum perrumpat robore tegmen
ac sedem Bacchi iucundam vitibus aptet.
Hinc laetas videas aetnaeo pulvere messes
ad zephyros undare, solum gaudere racemis
arboribusque umbrisque virentes ubere glebas;
hinc lapide inspicias casulas pagosque nigranti
exstructa e viridi audacter nictantia silva
atque mari adsuetam pubem campisque colendis.
Iam properant urbis Catanensis moenia magnae.

Paulatim currus defervet; sistimus atque
omnes deserimus piceam fuligine raedam.
Descendo, circumspicio, si dulcis amicus,
quem monitum volui, longi post temporis aevum
occurrat liceatque mihi deprendere dextram
et revocare una priscos quos degimus annos.
At frustra expectans huc illuc lumina verto.
Ferrea raeda iterum Catana trahit inde relicta.
En rursus Phoebo pontus scintillat apertus,
en rursus scopulos circumdat leniter unda.
Quid? num dura silex nunc contegit omnia? nunquid
Africa flaminibus tellus letalibus arva
perflat, queis frutices pereant ac terra fatiscat
late, deciduo nunquam recreata liquore?
Augustam — veterum cecidit Xiphonia nomen —
a laeva celeres currentes parte videmus.
Deinde Syracusae, medium cum tangere caelum
sol properat rutilans, Arethusides agmen amicum
excipiunt variisque vias sermonibus omnes
spectandi implemus cupidi miracula rerum.

Ortygiam ponte ingressi iuvat ire marinam.

„Illinc — ridendus mediis puer infit amicis — .
historicas memori si res bene mente tenetis,
ingeniosus homo doctrina atque arte penates
defendit. Frustra cingebat classibus urbem
Marcellus. Quo namque magis properare iubebat
naves vimque inferre urbi, tanto acrius ille
arreptas instrumentis tollebat in altum,
longa ut pisciculos piscator arundine quondam
aequoreis hamo victos suspendit adunco
fluctibus, atque imas mox praecipitabat in undas.
Ast alacres magnum facinus revocate Magistri,
quo, rapidos Phoebi speculis ingentibus usus
in naves radios vertens, a moenibus altis
arcuit atque ussit tremebundo milite plenas
atque armis puppes. Meritis nos laudibus illum
nunc celebrare iuvet, patriam et defendere. . ." Quidam
e turba haec fato, detorquens ora, coronae
cum fremitu longum risuque iocoque pepedit.
„Limina quin potius, quae docta Theocritus olim
incoluit, scrutamur?" — „Ubi, cum totus in illis
pulvere in effuso describeret ille figuras,
urbis defensor transfossus vulnere pectus

procubuit?" — „Rursus, quem Arpinas repperit hirtis
saeptum dumetis tumulum, sphaeram et columellam
atque cylindrum haud ignavos reperire decet nos".
Sic vocitant pueri. Interea admiramur et arces
atque aedes, deinde ignotis quae prisca vetustas
insculpsit graphio verbis monumenta, columnas
exesas aevo, nummos nitidoque stupendum
ex undis Veneris surgentis marmore signum.
Mox, Arethusa, tuo laetamur gurgite fessi.
Has ad aquas quondam divino Pindarus ipse
constitit obtutu neque eas sine carmine sivit.
Nunc quoque lympha fluit leviterque obmurmurat unda.
Perspicuus lacus est. Brevibus numerare lapillos
in lymphis valeas, herbas ipsasque palustres
cernere, si piscis peragrat sua regna, trementes.
Hora vocat pueros media ad ientacula laetos;
quas sibi quisque dapes hesterna luce paravit,
palantes his palmarum vescuntur in umbra,
arboris aut patulae sub tegmine forte sedentes.
Ast ego defixis oculis velut immemor adsto
te prope conspiciens vitreum de viscere terrae
subsilientis aquae rivum tenuemque papyrum,

delapsique aevi percurro saecula mente.
Fortis eras, Arethusa, levis saltusque legebas
nullaque te posuit casses studiosius unquam,
atque eadem formosa. Suis te vidit in undis
nudam, mille modis iactantem brachia et ipsam
subter aquis rapido mergentem corpora motu;
vidit et incaluit, rivus sine vertice purus,
— tantus amor vicit! — pulcherrimus Alpheus. Atqui,
coniugium spernens, mirum!, taedasque iugales,
anxia praetrepido fugisti pectore amantem,
quamquam te, specie factus vultuque decorus
humano, cupidis iterumque iterumque vocabat
vocibus. Ante pedes verum ut praecedere longam
umbram vidisti currentis iamque tenentis,
Dianae auxilio gelidum, heu, mutaris in amnem,
et fugis. Ipse tamen, rursus mutatus in amnem,
se miscere tibi exoptans, te pone secutus
Ionium subter raptim se mersit in aequor.
Frustra. Nam Ortygiae tetigisti ut litus amicum,
luminis in dias oras te erumpere iuvit,
fontem mox factam. Tibi non se miscuit Alpheus,
ac purum ex illo fundis post saecla liquorem.

Nunc, Arethusa, viden?, mutantur multa: puellam,
reiciat quae pura procum, mihi crede, requiras
tam facile ut studeas manibus contingere lunam.
„Quid datur in speculo lymphae discernere, doctor?
Fare age sis". Circumveniunt ac multa rogantes
laeti me patulae comitantur ad arboris umbras
cumque aliis ventri sua reddo iura petenti.
Hic pransi loquimur dicenda tacenda soluti
legibus et iam candidulos iuvat, Aetna, tabaci
fumos ructantes tecum certamen inire,
incipiat Phoebus quoad defervescere caelo.
Rursus at ire pedes cupiunt tandemque refecti
linquimus Ortygiam visuri cetera raptim
digna prius visu, quam saevum ad funus Orestis
spectandum revocet longo nos buccina signo.
Lautumias petimus. Ruptae stant undique cautes,
unde columnarum secuerunt dura priores
corpora. Non facilis vastum descensus in antrum.
Ast hic, parietibus circum impendentibus altis,
concisi montis latebrae panduntur opacae:
nescit ventorum vis huc descendere; caeco
semper distillant ex antri fornice guttae

totaque terra madet, tenuis Venerisque capillus
vestit ubique solum foedum muscosaque saxa.
Sirius incendit cum vero e vertice terras,
omnia vorticibus flammae correpta videntur
haec loca; ventus abest, immotus pendet et aër.
Hac misero bello capti Cecropides olim
valle catervatim iacuere, fameque sitique
illuvieque mala tradebant corpora leto.
„Scilicet — in medium sic quidam effatur —, inepta
carmina cum nollet Dionysi extollere verbis,
huc venturus erat conviva Philoxenus?" Illi
nullus respondet. Ridemus. Deinde sepulcra
christicolum late defossa in viscere terrae
haud placide inspicimus variasque ex ordine cryptas.
Hinc post egressi nonnullos gramina, vinclis
devinctos, asinos rodentes forte videmus.
Horum aliquis soli vergenti lentus hiantem
rictum convertit dentesque ostendit apertos
ut ridere velit iucundo tactus amore,
ipsius aut cupiat radiis illudere solis.
Tunc puer, ignarus graecae latiaeque loquelae,
at multis vitae rebus perdoctus et idem

quem norint omnes, cerebrosus prosilit atque
„Auriculas — inquit —, sultis, praebete, sodales:
aeschyleo digni moduli sunt hercle coturno,
quos vobis hos Hermogenes cantare iubebo".
Tum ridendo usu sapiens quo pollet et arte,
inicit ardorem tandem per aperta rudendi.
Incipit hic; propior, ne tanto in munere desit,
ipse rudit cunctique simul paeana canorum
conficiunt, quo terra sonat. Tunc musicus ante
illos stans virga cantum moderatur eosque
excitat ut varient asinino gutture voces.
Rumpuntur pueris spectantibus ilia risu.
Hora ruit. Celeres aliud post saxa theatri
visum mox petimus. Gnavi descendimus. Antrum
hic patet abruptum lateque silentibus horrens
umbris: auriculam Dionysi — est fama — priores
indiderunt nomen. Talis natura locorum
ut fornix altus, crepuit si quid leve subter,
augeat hoc, longoque iterumque iterumque boatu
umbras per gelidas responsans duplicet Echo.
Hoc, quibus obstaret, fertur saevissimus ille
inclusisse loco devinctos membra catenis